

DEO AMICVM  
VIRUM

*Magnificum, Nobiliss. Jurisq; Consultiss:*

DOMINUM

**THEOPH.  
DANIELEM**

**Gaebrholtz**

CIVITATIS THORUNENSIS  
PRÆSIDEM, PRÆCONSULEM,  
ET PROTO-SCHOLARCHAM  
GRAVISSIMUM

*Nec non*

Judicii Terrestris Nobilitatis Culmensis Assessorem  
*Meritissimum,*

**CUM DIEM ONOMASTICUM**

d. 3. Nov. an. MDCCXXX. .  
*Feliciter Celebraret*

*Obsequii & summae observantiae memores  
gratulabundæ prosequutæ sunt*

**MUSÆ THORUNENSES.**

---

T H O R U N I I

Impressit Ioh, Nicolai NOBILISS. SENAT. & GYMN. Typographus,

648



**B**Onum factum!

Nomen THEOPHILI Musæ Thorunenses celebrant,  
Nomen hoc omnia læta, prospera, Deo grata nunciat:  
Neque id mirari decet.

Deum refert ab initio, si Græcum,  
Deum a fine, si idioma spectes Teutonicum.

Hoc indicat sine dubio,  
Deum esse rerum omnium principium,  
Esse etiam finem,  
ad quem tendunt omnia,  
& nihil non post omnia.

Hoc etiam admonet,  
non posse hominem sine Deo esse quod est,  
nec posse evadere, quod sperat aliquando fore.

Hoc magnete qui trahitur,  
svavissimo maritatur vinculo:

Hac cynosura qui vehitur,  
is nunquam aberrabit a portu,  
in quo multi faciunt naufragium.

Hoc centrum qui sibi præfixum habet,  
nunquam extra peripheriam rapitur,  
ut vel in mundo pereat per mundum,  
vel oculatus dum cupit esse,  
suis se conficiat oculis,

vel dum seculi sectatur gaudia,  
luctum æternum feneretur in tempore,  
Omnia videlicet intemeratus Dei amor  
efficit ac prohibet.

Cuius ille insedit animum, hic per adversa & secunda  
feliciter vel equitat vel navigat:

omnibus par, dum omnes contra unum impares:

omnibus superior, quoties non spernit infima:

omnibus melior, quia virtute comitatus & pietate:

dico etiam beatior omnibus,

quia nihil tam beatum esse credit, quam amare beatissimum.

Hoc amore cuius plena sunt præcordia,

quid mirum, devovere caput pro grege fidelium ut vivat;

curas infinitas agere in Curia, ut curis exolvat populum;

Musis erigere domicilia, ut bene habitent;

fovere ingenia, ne torpeant vel frigescant;

compescere pravos, præmiis confirmare bonos;

illi ne inficiant, hi ne deficient a bono,

stadiumque literarium decurrant feliciter?

Felix



Felix Civitas, cui amor Dei tanquam angelus tutelaræ præest?  
 Felix Helicon, cui non sola Pegafidos unda profilit,  
 sed idem amor a Summatibus profluens  
 Musas vario æstu torridas refrigerat,  
 mulcet ac radicitus imbibitus  
 in gemmas, frondes, fructusque amœnos protuberat?  
 Sensisti hoc olim Pinde Thorunensis.  
 Nunquam defuere, qui tua exornarent culmina.  
 Majorum amor te evexit, & omne extinxit odium.  
 Majores hoc cimelium tradidere posteris,  
 ut servaretur sollicitè, ut amplius enitesceret,  
 ut radios quavaversum spargeret,  
 quos non malignus oculorum fascinus,  
 non fama sinistra, vel ruina tristior interciperet.  
 Habes adhuc, qui te diligunt inter opprobria,  
 qui colunt inter deserta,  
 qui rivulis irrigant, dum passim minantur arida.  
 Habes **MAGNIFICUM & GENEROSUM**

**PRÆSIDEM ac PROTOSCHOLARCHAM**  
**DOMINUM**  
**THEOPH. DANIELEM Bährholz**

qui te amore ac tutela complectitur,  
 cuius amorem alio amore provocare decet.  
 Et quid nisi amorem spondet  
 Nomen amore plenissimum?  
 Deum quia spirat, in te quoque vultum dirigit;  
 te cura paterna fovet ac sustinet,  
 ne unquam experiare vitricum;  
 tibi tam bene esse cupit,  
 quam non male civibus & incolis.  
 Macte tuis bonis Helicon!  
 Glorietur Byzantium Augusto Theophilo:  
 glorietur orbis Christianus cognomine Theophiio:  
 evehat Italia Principes Amædeos.  
 Tu vero gaude bonis præsentibus,  
 is enim tibi vivit, tibi laborat **THEOPHILUS**,  
 qui vitia vincere, ore & fascibus comescere,  
 qui obsequium per amorem extorquere novit.  
 Huic ergo, quando Fasti  
 Nomen **THEOPHILI** præferunt,

applaudere



admus hen dem Strum T 1

applaudere quantum potes,  
ne, dum solum potes, noluisse videare,  
Exporrige inquam frontem,  
ac læta voce succine:  
Adest lux amica, MÆCENAS OPTIME,  
quæ TE amoris ac fœderis admonet cum Deo initi,  
Nos officii & obsequii.  
Redde Deo amorem, quod semper agis;  
serva etiam nobis, quod confidimus,  
Ita TIBI lux ista serena rideat,  
Ita semper sine nebulis redeat,  
semper amore Dei comite recurrat!  
Hic TIBI adsistat in Oratorio, & charitate repleat;  
Hic in Curia non deserat, & adiuvet consilia;  
Hic, si quando Minervium visitas,  
gravitatem temperet,  
TEque inter fasces amare doceat.

Hic **FAMILIAM NOBILISSIMAM** evehat in majus,

TE omnibus curis efficiat majorem,  
malis omnibus superiorem.

TE florente, MÆCENAS OPTIME,  
Heliconi vita redibit:

TE sospite læti acclamabimus:

Habuit Roma Principem,

quem dixit orbis delictum:

Habet Helicon Præstitum,

Deo amicum, a Deo amatum,

Musarum decus ac delictum.



140 113038

v. fol. 3 adl. 49